

Dindorfius autem pauca tantum noverat praeter libros Parisinos 2785 et 2787, quorum alterum et antiquiorem et emendatiorem esse iactat: mihi praesto sunt haud pauca cod. 2785 folia lucis ope picta, quibus fretus et recentiorem eum esse et tanto deteriore pronuntio, ut omnino abiciendus sit. P autem meum (2787, Brunckii Paris. B) Dindorfius nec plene nec satis accurate habebat conlatum, perturbavitque omnia, cum modo duorum illorum codicum signis uteretur, modo A subscriberet, sive mutabat veterum editionum textum, sive intactum relinquebat. ego scholia edere numquam in animo habui, sed eatenus pertractavi, ut intellegerem quantum valerent, atque de Mediceo quidem infra nonnulla erunt dicenda; ea vero quae A vulgo dicuntur, servata in P ceterisque eiusdem familiae libris, quos statim proferam, editionem triadis commentario instructam referunt, quam grammaticus Byzantinus confecit, usus scholiis veteribus, quae concisa quidem subinde aut aucta, ut fieri solet in scholiis, in M quoque prostant; sed longe praestat M, qui antiquam eruditionem fere solus servavit; alter enim uni verborum explicationi studebat<sup>1)</sup>. atque cum conspirare eiusdem editionis textum cum commentario consentaneum sit, exiguus est scholiorum in constituendis poetae verbis usus. factam esse hanc editionem suspicor saec. XI aut XII, siquidem saec. XIII compluria eaque iam longe dissidentia tenemus exempla. appello eam  $\Phi$ , testesque eius nunc produco hos.

A. Codex Ambrosianus C inf. 222 saec. XIII, nobilissimus ille quem in Pindaro A, in Theocrito K, in Aristophane M appellamus. incipit ab Aeschylo, sed prima folia perierunt, ita ut incipiat Sept. 445. quae suppleta sunt saec. XV, sed rursus mutilata; supersunt paginae recentes quattuor, continentes Sept. 67—470, quarum ultima scholiis carent. ex qua parte recenti (a) quae excerpseram omnia fere abicere malui. vetus liber ita est dispositus, ut longior textus pars per binos in quoque versu trimetros (canticorum membra plura) praemitteretur commentario, alternarenturque ita poetae et commentatoris verba. cantica membratim scripta; sed rem metricam commentarius non curat, negligiturque fere descriptio a scribis recentioribus. rarae in hoc libro vv. ll. et correcturae; glossas interlineares

<sup>1)</sup> Ad studia Byzantinorum aestimanda commentarius scitu haud indigna confert, quae aliis relinquo disceptanda. ad Prometheus Hesiodus maxime est advocatus, emerguntque subinde mirae explicationes. ibidem etiam quaestiones naturales tractantur, in quibus Anaxagorae alibi non lecta comparuit doctrina A 86<sup>a</sup> Diels. ceterum nescio an Promethei scholia ampliora a ceteris distinguenda sint, ab altero eoque doctiore grammatico profecta.